
Lingua Mirandica

Lingua Mirandica mirandés	
IPA:	[-]
Taxinomia:	Linguae Indoeuropaeae Linguae Romanicae Linguae Romanicae occidentales Complexus Asturo-Legionicus **Lingua Mirandica**
Locutores:	15 000
Sigla:	1 -, 2 mwl, 3 mwl
Status publicus	
Officialis	
Privata	Lusitania
Litterae:	
Scriptura:	Latina
Procuratio:	Anstituto de la Lhengua Mirandesa



Familiae linguisticae coloribus Vicipaedicis pictae

Lingua Mirandica aut **Mirandensis** est lingua Romanica in septemtrionalibus paeninsulae Ibericae partibus adhibita. In Portugallia ea 15 000 homines loquuntur in pagis concilii Mirandae Durii (Luse *Miranda do Douro*, Mirandice *Miranda de l Douro*) et in tribus concilii Viminosi (Luse *Vimioso*, Mirandice *Brumioso*) pagis in 484 km^2 spatium, patente suo pondere per alios conciliorum Viminosi, Monachi Durii (Luse et Mirandice *Mogadouro*), Masaedonis (Luse *Macedo de Cavaleiros*) et Brigantiae (Luse *Bragança*, Mirandice *Bergáncia*) pagos.

Linguae Mirandicae in tris dialectas dividitur: Mirandensem Mediam aut Normalem, Mirandensem Septemtrionalem aut Raianum, et Mirandensen Meridianam aut Sendinensem. Fere omnes Mirandophoni bilingues aut trilingues sunt, nam Mirandice, Lusitanice, Hispaniceve loquuntur.

Textus lecti, v. gr.[?] diversarum linguarum phoneticarum, syntacticarum, aut lexicarum peculiaritatum[?] pondus ostendunt, et Lusitanicae linguae pondus maximum est quia a Mirandensibus culta, illustris, praecipua lingua Lusa putatur.

Cum firma traditione orali, a patribus tradita in filios per tempora, solum anno 1882, a José Leite de Vasconcelos, illustre philologo, archaeologo et ethnographo Luso, scribi investigarique coepta est. (Qui Historiam litterariam Mirandicam aperit in libro titulato *Flores Mirandesas* carminum manipulum edens: multa fragmenta Camõens vertit; In Mirandae pagis varia commenta, narratiunculas, fabulas, proverbia, aenigmata et amoris, humoris, devotionis etc... cantica colligit; etiam opusculum *O Dialecto Mirandês*, quo Societatis Linguarum Romanicarum Montis Puellarum praemium assecutus est, et 'Studos de Filologie Mirandesa' I et II, 1901, scribit).

Manuel Sardinha (carmina qui poetae Antero de Quental vertit); Bernardo Fernandes Monteiro (quattuor qui Evangelia vertit: Sancti Lucae, Sancti Marci, Sancti Matthaei et Santi Johannis, fere totaliter inedita, a Trindade Coelho vulgatis excerptis in ephemeridibus *O Repórter* anno 1896, et a Gonçalves Viana aliis in *Revista de Educação e Ensino* cum textu a se ipso reviso, qui etiam in prosam orationem varios textus in ephemeride *O Mirandez* editos scribit); António Maria Mourinho (carminum librum *Nossa Alma e nossa Terra*, se ipso auctore, edit anno 1961; et *Scoba Frolida An Agosto/Lhiênda de Nôssa Senhora de l Monte de Dues Eigrejas*, anno 1979; *Ditos Dezideiros*, anno 1995; Manuel Preto *Bersos Mirandeses*, anno 1993; Moisés Pires *Eilementos de Gramática Mirandesa*, ineditus; et *Pequeinho Bocabulário Mirandês-Pertuês*, anno 2004) inter alios, eius gradus sequentur, nunc scriptione florente. Hisce consiliis, eodem anno,

Concilium Orthographicum constitutum est, integre Camera Municipali Mirandae Durii patrocinatum et a peritorum glottologorum circulo perfectum, ita ut clarae ad scribendam, legendam et docendam Mirandicam linguam regulae instituerentur, orthographia quam maxime circunspecta constituiretur et lingua Mirandica lingua minoritaria Portugalliae consecraretur.

Suum studium per investigationis centra Lusa velut per centrum linguisticae Universitatis Olisiponensis cum proiectu *Atlas Linguísticos de Portugal*, et per Universitates Aeminii, quae *Inquérito Linguístico Bolêo* perficit. Per Vulgationem in mediis communicationis. Per orationes, etc.[?]


Inscriptio in lingua Mirandica

Quamquam adhuc sine iuridico statuto et cum parcis linguae Mirandicae tutelae et promotionis officialium modis, verum est, fructus huius laboris, linguam in ultimis temporibus valde investigari, iterum in usum redigi, et firmationis intra et extra regionem suam statutum assequi.

Aliquae phonologicae differentiae relatione cum lingua Lusa sunt:

- Servatio f- initialis: FAME = fame;
- Palatalizatio initialis consonantis L: LINGUA = lhéngua;
- Servatio consonantum l et n in intervocalica positione: LUA = lhuna, MAU = Malo;
- Palatalizatio consonantum duplarum ll/nn/mn: CASTELO = castiêlho, ANO = anho, DANO = danho;
- Diphthongatio vocalis brevis et in positione tonica: FERRO = fiêrro, etc..)

Bibliographia

- Cahen, Michel (2009): *Le Portugal bilingue: Histoire et droits politiques d'une minorité linguistique: la communauté mirandaise*. Rennes: Presses Universitaires de Rennes (Rivages linguistiques), 211 p. (ISBN: 978-2-7535-0771-5).
- Merlan, Aurelia (2012): *Sprachkontakt und Sprachwechsel im portugiesisch-spanischen Grenzgebiet: Das Mirandesische*. Frankfurt am Main: Lang (Rostocker Romanistische Arbeiten; 15), 456 p. (ISBN: 978-3-631-62261-2).

Nexus externi

Vicimedia Communia plura habent quae ad **Lingua Mirandica** spectant.

- Lhéngua i cultura mirandesa (http://www.mirandes.net/)

Linguae Romanicae

Anglo-Normannica · Auridunica · Aragonensis · Aromanica · Arpitanica · Asturiana · Burgundica · Caesariaca · Campanica · Catalana · Corsa (Gallurica, Sassarensis) · Cispadana · Dalmatica · Dacoromanica (Moldovica, Valachica) · Extremadurensis · Fala · Franco-Comitatina · Francogallica · Foroiuliensis · Gallaica · Gallonica · Guernesica · Lingua Haitiana · Hispanica (Castellana) · Insubrica · Istrica · Istro-Romanica · Italiana (Tusca litteraria) · Iudaeo-Francogallica · Iudaeo-Italiana · Latina Dolomitica · Iudaeo-Hispanica · Legionensis · Ligustica (Monoecensis) · Lotharingica · Lusitana · Megleno-Romanica · Mirandica · Moeso-Romanica · Mosarabica · Neapolitana (Aprutina, Bariana, Consentina, Daunia, Lucana,

Molisina) · Normannica · Occitanica · Orobica · Pedemontica · Pictavo-Santonica · Picardica · Romancica · Romanensis · Sarda · Serquica · Shuadit · Sicula (Bruttia, Sallentina) · Tarentina · Venetica (Talica) · Vallonica

Receptum de "https://la.wikipedia.org/w/index.php?title=Lingua_Mirandica&oldid=3268120"